



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Sacros. Concilii Tridentini Canones Et Decreta**

**Gallemart, Jean**

**Coloniæ Agrippinæ, 1621**

Capvt XVI. De fructu iustificationis, hoc est, de merito bonorum operum,  
deq[ue] ipsius meriti ratione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39157**

21. Cor. 6.

solum infideles excludit, sed a & fideles quoque fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, auaros, ebriosos, maledicos, rapaces, ceterosque omnes, qui lethalia committunt peccata; à quibus cum diuinæ gratiæ adiumento abstinere possunt, & pro quibus Christi gratia separantur.

## CAPVT XVI.

*De fructu iustificationis, hoc est, de merito bonorum operum, deq; ipsius meriti ratione.*

**H**Ac igitur ratione iustificatis hominibus, siue acceptam gratiam perpetuò conseruauerint, siue amissam recuperauerint, proponenda sunt Apostoli verba:

br. Cor. 15.

c. Heb. 6. c.

non est tam

iniustus, de

pen. dist. 2.

d. Heb. 10. in

fin. infr. c. 26.

*b* Abundate in omni opere bono, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino. *c* non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius. Et, Nolite dimittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Atque ideò benè operantibus vsque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tamquam gratia filijs Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, & tamquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter

21. Tim. 4.

reddenda. Hæc est enim illa corona & iustitiæ, quam post suum certamen & cursum repositam sibi esse aiebat Apostolus, à iusto iudice sibi reddendam: non solum autem sibi, sed & omnibus qui diligunt aduentum eius. Cum enim ille ipse Christus Iesus tanquam caput in membra, & tamquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possent; nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quominus plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, diuinæ legi pro huius vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam suo etiam tempore, si tamén in gratia decesserint,

erint, consequendam, verè promeruisse censeantur: cum  
 Christus Saluator noster dicat: *a* Si quis biberit ex aqua  
 quam ego dabo ei, nō sitiet in æternum, sed fiet in eo fons <sup>a. Ioh. 4.</sup>  
 aquæ salientis in vitam æternam. Ita neq; propria nostra  
 iustitia, tamquam ex nobis propria statuitur: neque igno-  
 ratur aut repudiatur iustitia Dei. Quæ enim iustitia nostra  
 dicitur, quia per eam nobis inhærentem iustificamur: illa  
 eadē Dei est, quia à Deo nobis infunditur per Christi me-  
 ritum. Neq; verò illud omittendum est, quòd licet bonis  
 operibus in Sacris literis vsque aded tribuatur, vt etiam <sup>b. Matt. 23. in  
 f. & Matt. 9.  
 circa 6.</sup>  
 qui vni ex minimis suis potum aquæ frigidæ dederit, pro-  
 mittat Christus eum non esse sua mercede cariturum: &  
 Apostolus *c* testetur, id quod in præsentī est momenta-  
 neum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in subli-  
 mitate æternæ gloriæ pondus operari in nobis: absit tam-  
 en, vt Christianus homo in se ipso vel confidat, *d* vel  
 gloriatur, & non in Domino; cuius tanta est erga omnes  
 homines bonitas, vt *e* eorum velit esse merita, quæ sunt  
 ipsius dona. *f* Et quia in multis offendimus omnes; vnus  
 quisque sicut misericordiam & bonitatem, ita seueritatem  
 & iudicium ante oculos habere debet, neque se ipsum ali-  
 quis, *g* etiam si nihil sibi conscius fuerit, iudicare: quo-  
 niam omnis hominū vita non humano iudicio examinā-  
 da & iudicanda est, sed Dei: *h* qui illuminabit abscondi-  
 ta tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc  
 laus erit vnicuique à Deo, qui, vt scriptum est, *i* reddet v-  
 nicuique secundum opera sua. <sup>i. Matth. 16.  
 Rem. 8.</sup>

Post hanc Catholicam de iustificatione doctrinam, quā  
 nisi quisque fideliter firmiterque receperit, iustificari non  
 poterit; placuit sanctæ Synodo hos Canones subiungere,  
 vt omnes sciant, non solum quid tenere & sequi, sed et-  
 iam quid vitare & fugere debeant.

## REMISSIONES.

*V* Ide P. Vasquez in 3. p. D. Thomæ, tom. 2. q. 152. n. 20. P. Egid. de  
 Sacram. & censuris, tom. 2. disp. 2. dub. 20. nu. 160. 160. cum seqq.  
 & disp. 4. num. 15.

D

DE IV-